

R. D. seq. M. Ergo fides inchoata, initialis et imperfecta esset prima gratia et fons omnium aliarum, ac nisi per hanc nullæ darentur gratiæ C. Fides completa, perfecta et explicita etiam in Christum N. Prioris fidei nomine intelligimus quamlibet Dei cognitionem, si modo *calitus* immissa sit, et tum gratias cum actiones salutares ad fidem sive proxime sive remote disponentes; conformiter ad dicta S. AUGUSTINI, qui hæc et similia L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 2. appellat *inchoationes quasdam fidei, conceptionibus similes*. De posteriore autem intelligenda est damnatio prop. 26. et 27. Quod enim *Jansenistæ* docuerant in prop. 5. ab ALEX. VIII. damnata, nempe in Paganis, Judæis ac Hæreticis voluntatem nudam esse ac inermem sine gratia sufficiente; quodque *Quesnellus* in prop. 29. asseruerat, extra Ecclesiam gratiam concedi nullam; hoc ipsum idem et instauravit et repetiit in illis propositionibus allatis, quibus negavit ante fidem in Christum, vel etiam in Deum remuneratorem, dari gratiæ auxilia prævenientia et quodcumque opus salutare.

217. Obj. cont. 2<sup>um</sup>. Fidelis cum sola fide *virtuali* potest elicere actum amoris justificativum; quia non semper requiritur ad actus meritorios elicendos immediate prævia fides *formalis*; ergo et id poterit infidelis; consequenter fides stricte sumpta reipsa et actu non requiritur. Conf. 1. Licet Baptismus et Pœnitentia *formalis* ac Confessio dicantur necessaria necessitate medii, intelligi tamen hæc necessitas potest de iis vel in re vel in voto; ergo idem dicendum est de necessitate fidei stricte talis. 2. Juxta nos nomine fidei in Christum, potest intelligi fides *implicita*, sive in Salvatorem; ergo etiam idem dici poterit de fide in Deum ut amicabilem remuneratorem.

R. N. Cons. *Disparitas* est, quia fides *virtualis*, quam apud fidelem sufficere dicimus, non est fides tantum in voto sed reipsa existens et in actu, licet duntaxat tenui ac ferme imperceptibili, quæ catenus dicitur *virtualis*, quatenus præsupponit formalem expressam et reflexam, ex cujus virtute procedit atque in aliquo effectu perseverat: talem autem apud infidelem reperire non est, utpote qui fide stricte tali semper caruisse supponitur.

Ad Conf. 1<sup>am</sup>. R. N. Cons. *Disparitas* est, quia fidem in voto sufficere, nusquam Scriptura docet, ut tamen significat de Baptismo et Confessione, ubi actibus charitatis et contritionis vim justificandi tribuit, quam neque propter sacramentorum institutionem, et obligationem inde ortam, illis fuisse ablatam ullibi declarat. Præterea, etiam assignari non potest actus alius intellectus, qui fidei *stricte* sumptæ æquivalet, aut vim ejus præstet.

Ad Conf. 2<sup>am</sup>. N. Cons. *Disparitas* est, quia cum fides in mediatorem, *hominem Deum*, cum reliquis proprietatibus ac circumstantiis Redemptoris nec ex natura rei nec ex ordinatione divina ostendatur necessaria, fundamentum est fidem in Christum explicandi de fide *implicita* ac in Salvatorem, ubi illius mentio occurrit et necessitas asseritur: quia vero contrarium probavimus de fide *stricte* sumpta, asserta fidei necessitas male referretur ad fidem *latam*.

218. *Observe*. Fidem etiam necessariam esse ex præcepto, manifeste docemur tum ex ejus necessitate hæcenus asserta, tum ex aliis Scripturæ textibus, Eccli. 2. *Qui timetis Deum, credite illi*. 1. Joan. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus etc.* Unde ab INNOC. XI. est proscripta

hæc propositio 16.: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se*. Item ab ALEX. VIII. hæc ordine 1.: *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium*. Porro cum illud præceptum sit duplex, aliud scilicet *negativum*, seu prohibens ne quis fidei mysteriis dissentiat, aut de iis dubitet; aliud *affirmativum*, seu præcipiens ut iisdem veritatibus assensus actu detur; certum est *primum* obligare pro semper, quia nullum est tempus, quo fidei mysteria sufficienter proposita repudiari possint: *secundum* etiam aliquando quidem obligare, liquet ex proxime dictis. Ad tempus vero præcise determinandum facit tum censura ab INNOC. XI. inflicta huic ord. 17. propositioni: *Satis est actum fidei semel in vita elicere*, tum universalis omnium sententia statuens, hoc præceptum sæpius urgere in vita et ratione sui, et per accidens. Nam *per se* quidem videtur urgere 1<sup>o</sup>. cum fides Catholica sufficienter proposita est infidelibus, hæreticis, et iis qui in infantia baptizati rationis usum attingunt: 2<sup>o</sup>. cum gravis contra fidem pulsât tentatio: 3<sup>o</sup>. cum quis in hæresin vel dubitationem voluntariam circa fidei mysteria lapsus est: 4<sup>o</sup>. cum adest probabile mortis periculum. *Per accidens* autem, ubi sine actu fidei præcepta Dei vel Ecclesiæ, ut par est, impleri, aut peccata vitari non possunt; sic, seclusa fide magis aut minus explicita, nec digne quis Deum orare, nec peccatorum in sacramento remissionem consequi potest: sic etiam aliquando tam graves contra spiritum insurgunt motus, ut certo succumbat, qui non a fide robur quaesiverit, repræsentando sibi Deum Judicem, qui corpus et animam gehennæ addicat.

## ARTICULUS II.

## QUOMODO OPPONATUR FIDES INFIDELITATI?

219. *Nota I.* Infidelitas triplex est: 1<sup>o</sup>. *Negativa* sive ignorantia inculpabilis rerum fidei, et est in eo, cui fides vel simpliciter, vel sufficienter non est sic annuntiata, ut credere possit et debeat. Hæc quidem peccati pœna est, non autem peccatum, ut ex damnatione Baianæ patet, quæ ordine 68. sic dicit: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*. 2<sup>o</sup>. *Privativa* est ignorantia culpabilis in eo, qui, quos potuit, discere articulos fidei negligit; vel cui fides sufficienter est annuntiata, ut credere debeat, omittit tamen credere, quin simul positive dissentiat, vel ullum errorem fidei contrarium admittat. Hæc peccatum est quidem contra fidei præceptum, fidei tamen objecto formali directe non opponitur. 3<sup>o</sup>. *Positiva* vel *contraria* antonomastice quasi definitur: Deliberatum ac pertinax iudicium contra aliquem fidei articulum; magis autem *generice* a Card. de Lugo describitur esse peccatum, quod ex objecto suo ita opponitur fidei actuali, ut, quamdiu non retractatur, non possit homo habere voluntatem credendi vero et proprio actu fidei divinæ: atque hoc contingit, quando quis vel *dissentitur* objecto fidei sufficienter proposito, vel assentitur objecto, quod fidei repugnare cognoscit, vel de rebus fidei satis propositis voluntarie *dubitat*, vel deliberate statuit aut omnia aut aliqua fidei objecta *non credere*. Inde autem colligitur infidelitatem *proprie* talem nec haberi in errore *inculpabili*; cum hic peccatum non sit: nec in errore *culpabili* culpabilem

ignorantiam sequente; cum in hujus consortio stare possit tum voluntas tum actus credendi articulos sufficienter propositos, et quorum ignorantia non adest: nec in *negatione fidei externa* aut perversione aliorum ad falsam sectam, si negatio interna aut dissensus contra fidem absit; cum hæc omnia, licet sint gravia contra fidem peccata, actui tamen fidei interno non opponantur ex parte objecti: nec in *voluntate peccaminosa*, qua quis universim nollet audire doctrinam aut fidem Christianam; cum ea etiam stante dari simul queat voluntas efficax credendi illam doctrinam, quantum est ex parte objecti; quia si in hoc casu vel fortuito vel coacte hauriret fidei notitiam, posset velle et etiam credere.

Porro infidelitas *proprie* dicta nonnunquam cum hæresi confunditur; communiter tamen universaliter sumpta subdividitur in *Paganismum, Judaismum et Hæresin*. Denique *apostasia* universim sumpta est defectio a fide prius suscepta, atque ad unam ex memoratis infidelitatem, pro ratione scilicet tum recessus, tum fidei, reducitur: in specie autem et per *antonomasiam* est transitus Christiani ad paganismum vel Judaismum; in quo sensu defectio a fide Catholica ad hæresin Calvini *proprie* non dicitur apostasia.

220. *Nota II.* Quæritur autem, an infidelitas *positiva* circa unum articulum possit componi cum fide naturali vel supernaturali circa articulum alium, v. g. utrum Lutheranus negans arbitrii libertatem possit fide divina, in sensu composito hujus erroris, credere Incarnationem Verbi, quam veram et revelatam profitetur? Communis sententia negat, *universim* enuntians, non posse amorem efficacem aut assensum absolutum unius objecti propter motivum aliis commune componi cum odio aut dissensu alterius, quod sub eodem motivo continetur. Altera ex principio contrario, et, facta inter actus virtutis perfectos et imperfectos distinctione, cum Ripalda, Lug., Viva, Ulloa etc. tenet, culpabiliter in aliquo discredentem, h. e. infidelitatem positivam circa unum articulum laborantem, posse simul credere alium fide divina *imperfecta*, etiam supernaturali. Ubi tamen Ripalda Disp. 431, advertit, bifariam hæreticum dissentire posse articulo fidei; 1<sup>o</sup>. admittendo revelationem Dei, et negando illam esse infallibilem; quo modo discredens articulum unum juxta omnes nequit alium articulum credere: 2<sup>o</sup>. admittendo omnem Dei revelationem esse infallibilem, sed negando existentiam revelationis alias sufficienter propositæ. Præterea autem observandum est, assensum imperfectum et minus firmum non esse fidem *simpliciter*, talem quæ sufficiat ad justificationem hominemque denominet fidelem; cum hujus nomine intelligamus, ex supra dictis, assensum appetitativum super omnia, qualis non est actus imperfectus, qui potius dicitur fides initialis vel fidei inchoatio.

221. *Dico I.* Discredens culpabiliter unum fidei articulum non potest simul credere alium, fide divina *perfecta et simpliciter* tali.

*Prob.* Fides divina perfecta et simpliciter talis debet *appetitive* ferri super omnia divinæ auctoritati ac revelationi graviter opposita; ergo tam parum potest componi cum dissensu culpabili divinæ revelationis sufficienter propositæ de alio mysterio, quam parum actus perfectæ charitatis stare potest cum culpabili et gravi transgressione alicujus præcepti.

*Conf.* Assensus fidei *perfectæ ac simpliciter* talis prærequirit voluntatem efficacem subjiciendi et captivandi intellectum in omnibus divinæ auctoritati loquenti; tum quia hoc requiritur ad credendum ex toto corde; tum quia hoc exigit propria et adæquata intellectus captivatio: sed hæc voluntas componi nequit cum nolitione credendi aliquem articulum sufficienter propositum, ut *per se* manifestum est; ergo.

222. *Dico II.* Discredens culpabiliter unum fidei articulum potest simul credere alium assensu fidei objective divinæ *imperfecto*, probabiliter etiam supernaturali.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Potest quis prosequi aliquod objectum materiale virtutis ex motivo universali, ita ut non afficiatur erga motivum universale in tota sua latitudine, velitque ex eo rem aliquam materiæ ac difficultatis minoris, quam accedente majore difficultate aut materia non præstaret; v. g. culpabiliter nolens restituere centum, potest simul velle restituere decem ex motivo *justitiæ*: potest amicus ea *dilectione* diligi, quæ quidem non patitur negari illi pecunias, quamvis non parata sit pro eo subire famæ et vitæ periculum: potest cum violatione præcepti difficilioris stare Dei amor remissus et imperfectus, vi cujus voluntas maneat determinata ad observanda faciliora præcepta; ergo pariter voluntas potest ita affici erga divinam auctoritatem loquentem, ut ei præbeat assensum solum in iis, quæ perfectionem practicam *religionis ac fidei* facilem reddunt, non vero in iis, quæ reddunt difficilem; aut circa ea, quæ sibi proponuntur his vel illis argumentis credibilia, non autem quoad illa, quæ minoribus argumentis persuadentur.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p. S. Aug. L. de Patientia* cum quævisset, quantum Schismatici patientia pro Christo ac vero fidei articulo valeret, et an donum Dei esset, cap. 27. sic respondet: *Neque enim hoc non est bonum, ut credat homo æterno supplicio se esse puniendum, si negaverit Christum, et pro ista fide qualecumque supplicium perferat et contemnat humanum. Proinde sicut negandum non est hoc esse donum Dei, ita intelligendum est alia esse dona Dei filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est mater nostra; ergo fides hujusmodi hominis alium articulum negantis, patientiaque pro veritate illius est actus supernaturalis; quia phrasi Augustiniana actum aliquem esse donum Dei idem est ac esse cum auxilio gratiæ supernæ elicatum, ut toto hoc libro aliis; ne in locis manifeste docet. Huic adde sententiam S. Chrys. de fide introductoria num. 68. recitatam et expositam; item Aug. L. 1. ad Simplic. q. 2. fidem inchoatam et imperfectam distinguens a perfecta et aucta, quam utramque tamen L. de Prædest. Sanct. c. 2. donum Dei esse contendit.*

*Conf.* Deus hæreticis ac infidelibus confert auxilia supernaturalia ad salutaliter operandum; ergo etiam ad fidem tum articuli, quem positive discredunt, tum articuli, quem verum existimant; ergo cum aliunde inter fidem istius *imperfectam* et alterius dissensum non detur repugnantia physica, possunt concipere ex auxilio supernaturali fidem unius articuli *imperfectam* et alterius dissensum; præsertim cum gratis ac sine fundamento asseratur lex Dei, negans supernaturalem concursum ad credendum unum, ubi aliud culpabiliter non creditur. Dixi: *Probabiliter supernaturali*; quia

ad præsentem quæstionem etiam sufficit, modo detur assensus *naturalis* propter revelationem divinam, siquidem et hæc vera fides *objective* divina dici potest.

223. *Obj. contra 1<sup>um</sup>.* Actus perfectus v. g. temperantiæ in una materia, componi potest cum actu intemperantiæ in alia materia; actus perfectus fidei humanæ, aut scientiæ stare potest cum positivo dissensu in alia propositione, et sic de aliis; ergo idem pariter contingere potest circa fidem divinam.

R. N. *Cons.* Præterquam quod dentur diversæ specie temperantiæ; auctoritas humana non æqualiter sit vel perspicax vel verax circa rem quamcumque; pro diversis conclusionibus requirantur diversa demonstrationis media ac principia; cum tamen *auctoritas divina* sit omnino eadem, et revelatio supponatur æqualiter satis proposita: universim *Disparitas* est, quia nec *temperantia*, nec *fides humana*, nec alia hujusmodi exigunt aut connotant voluntatem efficacem universalem amplectendi omnia objecta materialia, quæ subsunt eidem motivo, cum appetitionem sui motivi super omnia non dicant: at vero actus *fidei perfectæ* ac simpliciter talis est appetitativus divinæ auctoritatis super omnia; atque hinc voluntatem importat efficacem ac universalem submittendi intellectum divinæ auctoritati, quotiescumque Dei testimonium sufficienter proponitur; quia hoc sic propositum contemnere gravis est irreverentia, quæ cum illius *summa appetitione* conciliari nequit.

*Inst. 1.* Assensus intellectualis fidei *ex se* non est acceptatio ne quidem virtualis omnium revelationum, quæ sufficienter proponuntur; ergo neque pia affectio est ejusmodi acceptatio; præsertim cum obsequium et cultus fidei erga divinam auctoritatem sit *intellectualis*; adeoque, quod ad intellectum non spectat, nec ad obsequium et cultum fidei erga divinam auctoritatem pertinere censeatur.

R. N. *Cons.* Quamvis assensus fidei intellectualis *implicite* ac *virtualiter* saltem affirmet, verum esse quicquid Deus revelavit, quatenus datur propter *infinitam auctoritatem*, ut in omnibus infallibilem; non tamen assentitur etiam virtualiter tantum existentiae cujuscumque revelationis sufficienter propositæ; tum quia interdum alias contingeret hunc assensum implicitum esse *falsum*, sicut accidit subinde proponi sufficienter ut revelatum, quod reipsa revelatum non est: tum quia ejusmodi virtualitates in eo fundantur, quod motivum hujus actus *commune* sit actibus vel objectis aliis: jam vero cum motivum intrinsecum assentiendi divinæ revelationi sit exercita revelatio divina hæc *reipsa* existens; hæc vero non adsit cuicumque revelationi sufficienter propositæ; patet motivum assentiendi huic revelationi per actum fidei, non esse *commune* revelationi cuicumque sufficienter propositæ. Itaque oppositio actus fidei perfecti cum infidelitate, *formaliter* consistit in pia affectione et voluntatis imperio universali, efficaci et appetitativo divinæ auctoritatis super omnia; atque hinc illud saltem *virtualiter* dicit: Volo submittere intellectum cuilibet revelationi sufficienter propositæ; licet actus fidei nequidem *æquivalenter* dicat: Amplector ut vere existentes omnes revelationes satis propositas.

*Ad prob. R.* Obsequium nihilominus dici posse *intellectuale*, licet in ipso assensu formaliter non consistat; quia saltem circa assensum tanquam materiam ipsius obsequii et cultus versatur.

*Inst. 2.* Quamvis Hæreticus faceret contra cultum divini testimonii, si illud admittens negaret veritatem revelatam, tamen contra hunc cultum non peccat, si neget existere testimonium divinum; sicut homini loquenti irreverens non est, qui duntaxat negat eum fuisse locutum; ergo negatio hujusmodi componi potest cum assensu fidei *perfecto* alterius mysterii.

R. N. 2<sup>am</sup>. *p. Ant. et prob.* Ad summam erga testimonium divinum reverentiam *intellectualem* spectat recipere illud ubicumque sufficienter proponitur credibile: sicut enim non absque irreverentia respiceretur testimonium regis, ubi illud prudenter et rationabiliter proponeretur esse regis; sic idem in nostro casu locum habet potiori jure, cum Deus fidem exigat, quotiescumque satis credibile est ejus testimonium; unde dissensum semper positivam irreverentiam esse colligitur.

*Inst. 3.* Si actus fidei perfectus cum infidelitate non foret compossibilis, sequeretur, quod Zacharias discredens aut saltem hæsitans de futura prole, sibi ab angelo prænuntiata, amisisset *perfectam fidem* circa alia mysteria, ad fidem Catholicam et universalem pertinentia: sed hoc minime videtur dicendum; ergo.

R. N. M. Zacharias in ea hæsitacione, quæ minus deliberata fuit, et ex inconsiderantia proficisceretur, non peccavit graviter, ut Corn. a Lap. in c. 1. Lucæ exponit; adeoque illa non fuit *positiva* et *propria* infidelitas, cui duntaxat fides appetitativa super omnia graviter opposita tendens contrariatur. Idem responderi potest de Sara, Genes. 18., quæ dubitasse etiam, sed sine minoribus credibilitatis motivis, de revelatione per angelum facta videtur.

224. *Obj. cont. 2<sup>um</sup>.* Apost. 1. ad Tim. 1. jacturam fidei comparat cum naufragio, dicens: *Quidam repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragaverunt*; et c. 6. de errantibus in uno articulo ait: *Si quis aliter dicit, superbus est et nihil sciens.* Nomine naufragii autem et illa negatione *nihil sciens* videtur significari amissio omnis fidei et auxilii ad credendum. Accedunt S. Aug. Enchirid. c. 5. asserens apud Hæreticos qui se Christianos vocari volunt, non reipsa, sed solo nomine esse Christum; et S. Thomas hic q. 5. a. 3. in 6. sic concludens: *Unde manifestum est, quod talis Hæreticus circa unum articulum fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quandam secundum propriam voluntatem.*

R. N. Hunc sensum erui ex Scriptura. Comparatio enim Hæreticorum cum naufragantibus non est adæquata, quandoquidem alias illi destituerentur omni gratia et illustratione etiam ad resipiscendum aut ad eliciendum quodcumque bonum: consistit itaque hoc naufragium in jactura omnium habituum supernaturalium, ac difficultate appellendi ad salutis portum; quæ in Hæreticis major est ac in Catholicis. Idem respondetur ad 2<sup>um</sup>. textum: Hæreticus enim dicitur *nihil sciens*, tum quia licet subinde habeat *actus*, tamen spoliatus est *habitu* fidei et scientiæ supernaturalis: tum quia actus fidei et assensus in illo adeo infirmi et imperfecti sunt, ut *scientiæ* appellationem non mereantur. Quod ad auctoritatem S. Aug. spectat, cum illo etiam

nos consentimus; Christianus enim re ipsa is duntaxat est, ac dei meretur qui nulla in re a professione Christiana deficit. S. THOMAS vero vel loquitur de Hæretico, qui negat veritatem, fatendo esse revelatam, quia non tenet revelationem metaphysice cum veritate connexam, ut exponit Ripalda, propterea quod S. Doctor pro ratione assignat, quod is non adhæreat primæ veritati tanquam *regulæ infallibili*; vel solum negat fidem perfectam et simpliciter talem, ut indicat in responsione ad *primum*.

*Inst. 1.* Qui detestatur unum mortale ex motivo universali, ac omnibus communi, *implicite* ac *virtualiter* detestatur omnia mortalia, atque hinc nequit simul habere complacentiam in aliquo mortali: cujus *ratio* est, quia libertas voluntatis nequit separare virtualem inclusionem unius in altero; ut patet in efficaci amore *finis*, circa quem licet libera sit voluntas ad amandum, non tamen potest efficaciter amare finem, et simul nolle ponere media; ergo pariter id obtinet in fide.

R. D. *Ant.* Qui detestatur unum mortale efficaciter efficacia adæquata et in tota latitudine motivi etc. C. efficacia duntaxat inadæquata et restricta N. Ad rationem N. Ass. universaliter sumptum, cujus exemplum tantum locum habet in efficaci amore *finis*, dicente efficaciam *adæquatam*: contrarium enim liquet ex aliis exemplis, et ex illo absurdo, quod alias actus quilibet honestus, ob conformitatem cum ratione elicitus, esset retractatio cujuslibet peccati prius commissi, nec conjungi posset cum actu rationi difformi.

*Inst. 2.* Qui discredid aliquid cum gravi irreverentia in divinam auctoritatem, non credit aliud mysterium ex solo motivo reverendi *divinam auctoritatem*, sed ex motivo v. g. majoris facilitatis, commodi etc.; ergo talis assensus nequit esse supernaturalis. *Conf.* Si assensus, quo Hæreticus credit Incarnationem, foret supernaturalis, in eo non destrueretur *habitus* fidei infusus; cum in hoc casu non esset otiosus: sed hoc falsum esse constat ex Trid. Sess. 6. c. 15; ergo.

R. N. A. Facilitas illa vel commodum non est ratio motiva assensus, sed duntaxat remotio impedimenti, quod alias vim motivam impediret; et limitatio etiam assensus ex remissione efficacie in pia affectione provenit, sicut diffusio ejusdem secundum omnem motivi latitudinem ab adæquata affectus et voluntatis efficacia ortum habet: ex quo non minus quam ex allatis supra exemplis falsitas asserti detegitur.

*Ad Conf. N. M.* Habitus fidei deperditur ab Hæretico demeritorie, et ob specialem indignitatem; unde adjuncta ratio hic nihil evincit, præsertim quod id etiam ostendant exempla aliarum virtutum infusarum: *habitus* enim supernaturalis temperantiæ, misericordiæ etc. quamvis in peccatore otiosi non forent, nihilominus a nullo restare dicuntur. Ubi vero in absentia *habituum* eliciuntur actus fidei, temperantiæ etc., horum supernaturalitas habetur vel a gratiæ auxilio transeunte, vel ab omnipotentia Dei specialiter applicata, prout in Tr. de Gr. explicatum fuit.

*Inst. 3.* Non dantur actus fidei supernaturales, qui sint formidolosi et fundati tantum in notitia probabili revelationis; ergo nec dantur fidei assensus supernaturales imperfecti et minus efficaces.

R. N. *Cons.* *Disparitas* est, quia formido vel est culpabilis vel inculpabilis: si *primum*; est positiva infidelitas, quia secum importat iudicium erroneum de incertitudine motivi; implicat autem actum fidei supernaturalem coexi-

stere infidelitati positivæ circa idem mysterium: si *secundum*, adhuc nequit stare cum fide supernaturali circa idem mysterium; quia assensus formidolosus est imperfectio essentialis et intrinseca ipsius assensus, nec captivatio intellectus circa idem mysterium, cui assentitur; adeoque nec supernaturalitas simpliciter, nec fidei supernaturalitas convenit ejusmodi assensui. Similia non sunt in actu fidei *accidentaliter imperfecto*, de quo nobis sermo est; ac præterea patet, possibilem esse affectum supernaturalem in aliqua materia, qui componatur cum amore prohibito circa aliam materiam, licet nequeat conjungi cum amore prohibito circa materiam eandem.

QUÆRES. *Quis sensus sit Censurarum theologiarum?*

225. *Nota.* Censura hic sumitur pro nota malæ doctrinæ; *theologica* dicitur, cum mala doctrinæ qualitas est nociva fidei; quia ut Theologiæ munus est tueri fidem, sic etiam ad illam spectat doctrinas fidem lædentes notare: ex officio inuritur a Pontifice, Episcopis et Quæstoribus fidei. Pro diversitate *graduum*, quibus propositio fidei opponitur, diversa etiam censura est, cujus variæ species et exempla extant in Concilio Const. Sess. 8. et 15. articulos *Wicleffi* proscrubente, in Bulla LEONIS X. articulos *Lutheri* abolente, in damnatione propositionum *Baianarum*, ac in quibusdam Decretalibus Pontificum. Atque secundum hanc ipsam graduum diversitatem triplicem censurarum classem statuimus; ubi ad *primam* reducimus propositionem hæreticam, erroneam, blasphemam, impiam et schismaticam; ad *secundam* vero suspectam et proximam hæresi aut errori, sapientem hæresin; ad *tertiam* denique scandalosam, male sonantem, piarum aurium offensivam, simplicium mentium seductivam, seditiosam, et temerariam. In harum explicatione non sensum qualemcumque, sed fidei duntaxat oppositum attendimus, et unum ab altero, qui ab aliis subinde confunditur, secernimus, spectando ubique *objectum* magis, quam *subjectum*.

226. R. I. Propositio *hæretica* est, quæ contrarie vel contradictorie opposita aperte est veritati, quam certo constat esse revelatam seu de fide. *Erronea* est, quæ opponitur veritati certæ certitudine theologica; sic autem certa dicitur a plerisque veritas ea, quæ est conclusio theologica seu evidenter illata ex propositionibus, quarum altera de fide, altera evidens est: ab aliis explicatur esse ea, quæ re ipsa de fide non est definita, communi tamen consensu fidelium habetur tanquam contenta in SS. Litteris, aut Conciliis, aut traditione Apost. *Blasphema* est, quæ injuriam et irreverentiam immediate aut mediate contra Deum vel Sanctos continet; hæc si cum fidei articulis simul pugnat, *blasphema hæreticalis* dicitur. *Impia* est, quæ contra verum ac debitum Deo vel Sanctis cultum pugnat, illique detrahit. *Schismatica* est, quæ nata est, quamvis sine hæresi, inducere vel promovere schisma, h. e. separationem Ecclesiæ a suo Capite.

227. R. II. Propositio *suspecta* a quibusdam sumitur quasi genus respectu subsequentium censurarum hujus classis, diciturque ea, quæ videtur innuere aliquam hæresin vel errorem: quod si *proxime* fiat, dicatur proxima vel hæresi vel errori; si *remote* tantum, dicatur sapiens hæresin vel errorem:

ab aliis seorsim et tanquam singularis censura accipitur; inter quos tamen aliqui eam extenuant, ac infra illam, quæ sapit hæresin, diminuunt, voluntque eam dici, de qua tantum fundamentum adest suspicandi hæresin vel errorem; aliqui vero extollunt et proximam post erroneam ponunt, dicuntque eam, quæ opponitur doctrinæ sacræ non certo quidem et communi consensu, sed probabilissime et juxta plerosque in Scriptura aut traditione contentæ. *Proxima hæresi vel errori* est, quam quidem non omnes, plures tamen et graves Doctores cum gravi fundamento dicunt esse hæreticam vel erroneam; quia ipsum proximitatis vocabulum maximam indicat propinquitatem, quæ aliter explicari nequit. *Sapiens hæresin vel errorem* est, quæ sive propter verba aut materiam, sive propter locum, tempus aut personam, sive propter circumstantias alias præbet fundamentum *probabiliter* judicandi, aliquam hæresin vel errorem esse in auctore, ex qua vel quo talis propositio procedat.

228. R. III. Propositio *scandalosa* universim dicitur quæ affert occasionem ruinæ vel facilitatem cadendi in hæresin, errorem, vel alia fidei opposita: magisque specialiter dicitur, quæ in individuo et praxi damnat bonos fidelium mores piæque consuetudines a Prælati Ecclesiæ permissas et communi fidei instructione introductas. *Male sonans* est, quæ duos habet sensus proprios, alterum Catholicum, alterum hæreticum vel quacumque censura damnabilem, sed in sensu damnabili frequentius sumitur, et nihilominus absque explicatione vel exceptione profertur. *Piarum aurium offensiva* est, quæ repugnat communi fidelium existimationi, in quam ex pietate doctrinæ sacræ conformi inducti sunt. *Simplicium mentium seductiva* est, quæ sub specie et velo pietatis ac doctrinæ sanæ seducit simplices animos a fidei doctrina. *Seditiosa* est, quæ in Ecclesia vel populo Dei viam sternit ad negandam vel diminuendam obedientiam, maxime Ecclesiæ, Pontifici, Conciliis ac Prælati circa res fidei ab iis propositas credendas debitam. *Temeraria* est, quæ communi Patrum sensui opponitur, aut sine sufficienti fundamento simili Doctorum consensui repugnat in materia theologica seu in rebus, quæ ab humana ratiocinatione et illatione ex principiis naturalibus et fidei facta dependent. Hanc *positive* temerariam dicunt, cum alia *privative* temeraria dicatur, quæ quidem Patribus aut Doctoribus, eo quod hi rem nec in communi nec in particulari tractarint, non contradicit, temere tamen ac imprudenter sententiam pronuntiat: sed postremam plerique confundunt cum *improbabili*, quæ tamen nota, nisi aliquid ex aliis supra enarratis participet, inter censuras theologicas non refertur.

## DISPUTATIO IV.

## DE SPE.

## CAPUT I.

## DE NATURA ET OBJECTO SPEI.

## ARTICULUS I.

## QUENAM SIT NATURA ET NOTIO SPEI THEOLOGICÆ?

229. *Nota.* Spes proprie talis, sed in genere, juxta D. THOMAM 1. 2. q. 40. a. 2. in 0. describitur esse *motus appetitivæ virtutis, consequens apprehensionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci.* Ex hoc Theologi plerique pro natura spei cognoscenda varias in objecto conditiones, et in actu formalitates exigunt. Conditiones quidem sunt, ut objectum 1<sup>o</sup>. sit *bonum* aliquod; quia spes tanquam actus prosecutivus non nisi bonum pro objecto habere potest, cum malum fugæ, non vero prosecutionis objectum sit: 2<sup>o</sup>. *absens*, seu quod necdum habetur; cum stulte speretur, quod jam possidetur, nisi forte ejus præsentia possidentem lateat per errorem: 3<sup>o</sup>. *arduum* seu cum aliqua difficultate in obtinendo conjunctum; sicut enim non timetur malum, quod nullo negotio declinare vel depellere licet; ita nec sperare quis dicitur res minimas, aut facillimas, quas obtinere statim, ut voluerit, in potestate habet: 4<sup>o</sup>. *possibile* obtentu, et probabiliter obtinendum: quia quod quis cognoscit a se vel nullatenus obtineri posse, vel certo non obtentum iri, id quidem desperare potest, sperare autem nisi imprudenter nequit; cum actus spei prudenter conceptus non possit ferri in impossibile, vel in aliquid, quod certo cognoscitur non esse obtinendum: *Possibile autem*, ut inquit D. TH. 2. 2. q. 17. a. 1., *est nobis quid dupliciter: uno modo per nosmetipsos, alio modo per alios.* His vero objecti conditionibus quadruplex etiam formalitas in actu spei correspondet.

Et quidem ratione *primi*, amor seu complacentia in bono sperato requiritur, quia, ut S. TH. 2. 2. q. 17. a. 7. notat, spes et omnis appetitus motus ex amore derivatur: ratione *secundi*, desiderium; tum quia ad eandem virtutem aut facultatem pertinet amare bonum, et amatum desiderare: tum quia spes, ex communissima acceptione, motum voluntatis tendentis ad boni absentis consecutionem sonat: ratione *terti*, erectio animi seu efficacia volitionis et conatus voluntatis, non obstante difficultate prosequendi bonum et